Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26055
Copyright: Admont, Benediktinerstift

non parva. Ille enim soporatus videtur per excessum contemplationis. et pie
miserationis affectu: ut in illum soporem immiserit veritas. in hunc caritas.
cum utraque sint dominus. Ait enim Iohannes evangelista. Deus caritas est: et ipse dominus.
Ego sum via et veritas et vita. Sane soporem Christi solius caritatis fuisse:
nemo dubitat vel nomine tenus christianus. Siquidem accubuit ut leo. non
victus plane sed victor: potestate propria ponens animam. somnum mortis ex
cipiens propria voluntate. Ceterum qualis et ille sopor fuisse dicendus est
vel credendus. quem immisit dominus in adam: in quo sine sensu omnino
doloris. in mulierem edificanda costa sublata est de latere dormientis.
Michi quidem non nisi incommutabilis veritatis intuitu et abysso divine sapi
entie corporeis excedens sensibus. obdormisse videtur: quod ex eius verbis vel
maxime conici potest. Rediens nimirum indicat quo abysso dum tamquam
ebrius de cella vinaria veniens. et eructuans illud magnum sacramentum
quod tanto post in Christo et in ecclesia apostolus commendavit: hoc nunc inquit
os ex ossibus meis. et propter hoc relinquet homo patrem et matrem. et adhere
bit uxori sue. et erunt duo in carne una. An tibi penitus obdormisse
videtur. qui in hanc vocem excitatus erupit et non magis dicere potuisse.
ego dormio et cor meum vigilat. Verum id quidem sine preiudicio dixerim.
sicut forte aliter visum fuerit: maxime si quid aliud in sanctis paginis in
venitur. Neque enim communem arbitror fuisse soporem. aut nostris similem som
nis: que nec contemplationis excessus. nec miserationis affectus. sed infir
mitatis defectus immittit: quos nec veritas nec caritas sed necessitas parit.
Grave siquidem iugum super filios adam: non autem in principio super adam.
sed super filios eius. Quid non grave miseris. quibus et vivere labor est: quibus et quod
pauci videntur advertere. sentire penitus nemo. ipse quoque sensualitatis
usus. invenitur oneri: adeo ut nequeat sustineri. nisi alterna requie foveatur.
Quid non labor et dolor et afflictio spiritus. ex omnibus que sub sole sunt: quando
et illud eis gravissimum est quo potissimum delectantur. vegetatio scilicet et
sensificatio carnis. Nimirum quam sit eis dulce consortium triste divor
tium manifestat: dum vix tandem potest avelli. cum corruptio ipsa
corporis penitus intolerabilis est vegetanti. Sane non simpliciter corpus.
sed corpus quod corrumpitur aggravat animam: ut immunem ab hoc gravami
ne primi parentis animam noveris extitisse. donec corpus adhuc gereret